

tum est; *qui cito dat, bis dat; beneficii gratia, promptitudine et celeritate conduplicatur*¹. — De coetero gregorianum in re praeceptum prae oculis semper habendum: *Implenda sunt postulantium desideria, quoties illa poscuntur quae a ratione non deviant*². Facilitas ac comitas in exaudiendis subditis [recta postulantibus], eximia boni Pastoris qualitas est.

VI) Si suspicionibus laboretur, ac nimiae adhibeantur inquisitiones. Enimvero, quam omnia quae a fidelibus dicuntur inquirere, de personis ac rebus indesinenter primos quaestiones ponere, ex indicii culpas prophetare, ac cum aliquis in culpam deprehensus fuerit triumphum agere, quid indecorius imprudentiusque ecclesiastico in Pastore haberi potest? At sapientis prudentisque mens has caeterasque inurbanitates, toto corde, refugit: vigilantiam cum quaestuariis moribus [quae pastoralis in regimine valde dedecet] haud confundit; quae potest agnoscit, coetera vero Deo fidenter committit, qui [scrutator cordium et omnium providentissimus cum sit Pater] communem ad salutem omnia sapienter disponit. Si quis, enim, hae prudentiae consilia posthabeat, delatores adulatorumque multos inveniet qui infinitam propemodum ipsi exhibebunt segetem, quibus eius dicteriorum delationumque sitim satiare contendunt. Non tantum, igitur, *ama nesciri*³, sed et *ama nescire*, ac pacem [magnum Dei donum] prudentiamque servabis. — Quantum, enim, quis latius foris extenditur, tanto intus minoratur, et haec immoderata in aliorum dictis vel factis inquisitio, multas distractiones magnasque in corde obscuritates generat, quae tum in Pastoris, tum eius in regimine detrimentum vertere consuescunt. Enimvero, *rumores qui de nobis dicuntur inquirere, nihil aliud est quam ignibus et iaculis quae innoxie eiici poterant, sponte ad comburendum se exponere*⁴; nil aliud est quam paroeciae regimen suspicionibus fulgiri, quibus [sub veritatis agnoscendae specie] zelotypiam caeterasque omnes caritatis pestes foventur. Coeterum *quacumque re offendi hominum est privatorum, multa dissimulare Principum, nihil ignoscere tyrannorum est*⁵. Ad Pastoris officium pertinet intelligere omnia; velle tamen singula fere verba ad examen vocare, magnanimo indignum pectore est. Multa, enim, spreta obsolescunt, quae si irasceris aucta videntur.

VII) Si ita ambigue loquatur aut iubeat Pastor et aequivoce atque obscure dicat, ut quasi studiose nolit intelligi, et

¹ Seneca, *loc. cit.*

² S. Gregor. Magn. *Epistolar. Lib. XXIII, Indict. 6, epistol. ad Ioann. Episcop.*

³ *Imital. Christ. Lib. II, Cap. 2.*

⁴ Hug. a S. Victore, *in Examen., IV.*

⁵ Saavedra, *Idea Princip. Christiano-Politic. Symbol. XIV.*

subditum arguere ei semper liberum sit. At omnes qui hanc loquendi rationem in moribus habent, nil quam politici versutissimi habendi sunt qui, ut propriae operae emolumenta tantum insequantur, pericula a se arcere contendunt: si, enim, res bene cesserint sibi, si vero male in aliis culpam refundunt. Sed *qui sophisticè loquitur odibilis est, in omni re defraudabitur*¹, *non est illi data a Domino gratia*², quo *omni sapientia defraudatus est*³. *Labia, igitur, tua ne loquantur dolum*⁴; nam *fraus cum omnibus foeda est, cum his vero qui maiore sunt dignitate praediti foedior quam aperta violentia*⁵. *Qui ambulat simpliciter, hic salvus erit*⁶.

VIII) Partium insequi studium de quo quaedam diximus, ac coetera alibi recolemus.

II. — Hae rigidi nimis regiminis praecipuae notae sunt, quae pastoralis gubernationis neglectum constituunt, quo quum fideles non patris animum, sed domini sensus experiantur, non filialem, sed servilem affectum in illo ipsi reponant. Hinc suspiciones, dicteria, inquisitiones, infinitae paene murmurationes oriuntur, ac, ut omnia quae hinc habentur incommoda uno complectamur verbo, totius pastoralis regiminis [nunquam lugenda satis] eversio oritur! At *rex rigidus incurret malum*⁷, et, e contrario, *miser cordia et veritas custodiunt regem*⁸.

III. — Huius mali remedia ita indigitari possunt:

a) Paterni in omnes Dei affectus cogitatio, ut, ad illius formam ac imitationem, paternam in sibi commissos gubernationem Pastor instituat; quod et utilius si se illis praesse quos coelestis Pater filios sibi adoptavit, cohaeredes Unigeniti Filii sui, cogitaverit Pastor. Haec, enim, superna Creatoris dignatio, unumquodque animarum Curatore in paternum excitabit affectum, omni despotico more seposito.

b) Suo deinde se Pastor metiatur pede videatque quales in se Superiorum suorum affectus, paternos an despoticos, optet, et tales quales in se desiderat, suos erga fideles in se excitet. *Tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nobis si subiecti fuisset, nostros voluerimus esse Praepositos*⁹. *Haec est tutissima lex ut, sic vivas cum inferiori, quemadmodum Superiorem vis vivere tecum*¹⁰.

c) Non timeri, sed amari velit, ac imperata ab amore

¹ *Ecclis. XXXVII, 23.*

² *Id. XXXVII, 24.*

³ *Id. XXXVII, 23.*

⁴ *I Petr. III, 10.*

⁵ Tacit, *Histor. Lib. III.*

⁶ *Prov. XXXVIII, 18.*

⁷ *Id. XXI, 17.*

⁸ *Id. XX, 28.*

⁹ S. Gregor. Magn. *Epistolar. Lib. XI, Indict. II, epistol. ad Rufin.*

¹⁰ S. Petr. Damian., *in Festo S. Nicolai.*

nata et ex amore peracta, diuturniora, sinceriora, tutiora, pacatiora et laude etiam digniora esse Pastor cogitet.

d) Quanto filialis servili praeponderet amor frequenter secum perpendat Pastor: illum vero sperari non posse nisi prius paternum in suos affectum induat, persuasum sibi habeat.

e) Ultronea et non rogata beneficia, ac in suorum filiorum necessitatibus sollicitudo iuvabit quam maxime. Hac ratione, paterne compatiendo, remedia malis praescribendo, ultro compellendo, excitando, ac in spem meliorem provocando, opem suam operamque pollicendo, in omnem demum fidelium fiduciam spemque paterni in se affectus excitando cum dolente doleat, patienti commiseretur, ac in omnem se formam vertat ut animarum saluti consulat. Uno verbo, non tantum patrem, sed [pro rerum exigentia] et matrem, se esse Pastor cogitet, quo non paterna tantum, sed, et maternam suis Filiis impendet operam. Ubera matris habe, et quae nimiae rigiditatis verba ac opera sunt fugabis.

§ IV. — De indulgentis nimis pastoralis regiminis notis.

SUMMAE RERUM. — 112. Quantum hunc defectum devitare intersit. — 113. Quae nam huius notae sint. — 114. Ad rem remedia quae esse possint.

112. — Quae pastorali in regimine nimiae rigiditatis notae sint recensitis, et quae inibi nimiae laxitatis indicia sint recolare iuvabit, ut, extrema devitanda, in medio [ubi virtus haberi consuevit] Pastor prudens sistere valeat. — Enimvero quamvis regiminis suavitas laudanda, attamen si nimia damnanda; ut, enim, illud cum fortitudine semper societur oportet, cum ex huiusmodi tantum aequo temperamento, fideles in officio continere Pastor possit. Enimvero si semper et ubique suaviter animarum Curator se haberet, quid aliud assequetur nisi ut bonos ad scelera invitet, malos vero ad deteriora perpetranda alliciat? *Languente, enim, capite, membra incassum vigent*¹; ita, enim, a natura conditi sumus ut ad abutendum libertate fere trahamur. In nocitura itaque toto impetu volvitur si observator ac censor desit, et quae nimia Pastorum indulgentia permittit, iam licere arbitramur. Tunc haud repressa vitia, virtutis sortiuntur nomen, ac cum familiaria facta fuerint, in alteram fere naturam abeunt et in ipsum Pastorem insurgitur. Venerationis, enim, neglectus ac contemptus sequitur, e quibus

¹ S. Gregor. Magn., *Regula Pastoralis*, Par. II, Cap. 7.

oblocutiones detractationesque nascuntur. At haec est illa [damnanda] remissio per quam unus aedificat parientem et alius linit, per quam laudatur peccator in desideriis animae suae: immo per hanc canes muti non valentes latrare per consensu uniformitatem, faciem et similitudinem peccatorum assumunt, sicut scriptum est: *Usquequo iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis?*¹

113. — Hisce praehabitis suavitatis nimiae agendi rationes ac modos indigitamus, qui hic redeunt:

a) Si, sub christianorum praeceptuum multitudinis praetextu, eorum observantia minus accurate urgeatur:

b) Coeterorum animadversionibus querelisque nimis facile praebere aures. Magnum profecto iustumque appellationis ius est, ac appellantes audire, et [quoad licet] exaudire Pastorum omnium debitum extat. At *et magno in his et pio opus est intuitu, ne quod magna necessitate fuit provisum, male utendo, reddatur inutile. Mihi videtur et in multam posse devenire perniciem si non summo moderamine actitentur*². Nec placendi fidelibus studium immoderatam hanc remissionem Pastori suadere potest, quum ante omnia Deo consulendum sit.

c) Gravia fidelium scandala inulta sinere, quo *ex frequenti aliorum transgressione, assuescit Superior quasi minus mala iudicare quae mala esse perspexit*³. At de hoc inferius pluries et opportunius dicemus.

d) *Si ex naturali quadam timiditate vel respectu aliquo, ita perfunctorie et frigide moneat ul nihil delinquentem moveat, quasi admonitione illa id tantum voluerit ut officio functus coram Deo videatur, seque ipsum liberet scrupulo praetermississe correctionem*⁴. Et de hoc, opportunius, mox⁵.

e) A quibusdam et, quod sane peius, a consanguineis vel ab ancilla regi pati, quo remissius nimis Pastor factus, si non verbis, tamen opere Assuerum imitatur qui *tulit annulum quo utebatur et dedit eum Aman dixitque ad eum: De populo age quod tibi placet*⁶. Ex qua improvida Principis dignatione, quae et quanta Populo Sancto Dei provenirent mala Sacrae testantur Litterae; et quae ab hac agendi ratione paroeciae gravissima enascantur incommoda, sub silentio tegimus. At [Pastores omnes meminerint] *recidenda insipienti potestas, non adiucendi*

¹ S. Petrus, *Chrysolog. Epistol.* 7.

⁴ Id. *Ibid.*

² S. Bernard. *De Consideratione*, Lib. III, cap. 2.

⁵ Cfr. indic. alphabet. *Correctio*.

³ Acquaviva, *loc. cit.*

⁶ *Esther*, III, 10.

*libertas est*¹; secus, dum de apocryphis Amanni operibus fremebunt fideles, et de redivivi Assueri negligentia, plura [eaque gravia] ipsi obmurmurabunt, et cum Esther ingeminando *crudelitas redundat in regem*², horum regiminis invasorum mala facinora et in Pastorem reiicient qui suae incuriae poenam primus luet. Et de hoc alibi³.

f) Cum agendum sit cunctari, de quo diximus alibi.

g) Pusillanimitati inconstantiaque uti, prout jam monuimus.

114. — Et huius defectus remedia indigitemus paucis, nimirum:

a) Commissi sibi a Domino gregis, severaeque exactionis sibi concreditaе villicationis recordatio, monente Scriptura: *Iudicium durissimum his qui praesunt fiet*⁴; *potentes potenter tormenta patientur*⁵.

b) Commemoratio incommodorum quae ex hac remissione nascuntur, ut illorum magnitudine Pastor territus, seriam excitatamque magis gubernandi rationem induat.

c) Fortis tenaxque sacerdotalis ac pastoralis vocationis suae amoris provocatio, quibus se ipsum excitando, ac in suae vocationis studio inflammando, in omnem bene agendaе rei occasionem intentus fiat, nihil illorum quae ad paroeciam tectam sartamque servandam opportuna sunt, omittat. Neque ad ea quae amamus potenter ferri, et generoso difficultia quaeque transvolare animo difficile est: amanti nullus labor, *ibi, enim, est grande studium defensionis, ubi est gravior vis amoris*⁶.

d) In omnibus rebus humanis, nisi indefessum studium interceserit, quidquid magnum est collabi Pastor cogitet. Ut, enim, hortus summis non excultus curis, spinis vepribusque repletur, ita et paroeciae, si non solerti custodiantur cura, a pristina observantia cito deficiunt.

e) Magna in Deum fiducia uti, qui peculiaris gratiae status adiumenta Pastori merenti adeo tribuit, ut et ardua in christifidelium salutem assequi valeat. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*⁷. In Deum, igitur, omnem fiduciam suam Pastor iactet, quo eius gubernatio divinum fere sanctumque robur accipiet; Ille, enim, non desolationis ac destructionis, sed consolationis ac aedificationis praevalidum adiumentum est.

¹ S. Ambrosius, Epist. 7, *Ad Simplician.*

² *Esther*, VII, 4.

³ Cfr. indic. alphabet. *Ancilla, Con-sanguineos.*

⁴ *Id.* VI, 7.

⁵ *Sap.* VI, 6.

⁶ S. Gregor. Magn. *Moral.* Lib. XXXI, Cap. 13.

⁷ *Psalm.* CXXVI, 1.

§ V. — De huius connubii ratione ac modis.

SUMMAE RERUM. — 115. Trina in re fundamentalia principia recoluntur. — 116. Peculiares ad rem industriae quae sint. — 117. De gravitate a suavitate temperanda. — 118. Quae ad rem media esse possint. — 119. De affabilitate ad fortitudinem compensanda. — 120. Quaedam ad rem recoluntur industriae. — 121. Conclusio.

115. — Quamvis ex his omnibus quae hucusque recolimus aliquam huius connubii rationem eruere quis possit, attamen quaedam practica ad rem monumenta indigitare perutile ducimus, quorum gratia, praecipui saltem in re scopuli devitare possint; quod ex generali humanae naturae condicione, et ex pastoralis regiminis peculiaribus exigentiis necessarium ducimus. Prima enim [Protoparentum sauciata peccato] virtutem [quae in medii sede consistit] indesinenter refugit; alterae vero dum iustitiam cum caritate [peculiari quo fieri potest modo] sese inter copulari iubent, quam maxima in re obstacula parant, quae et maxima detrimenta afferre consuescunt. In re, igitur, principia generalia ante omnia Pastori recolere ac eorum observantiam enixe commendare iuvabit, nimirum:

a) *Sit amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate saeviens; sit pietas, sed non plus quam expedit*¹. Piscatoris, idcirco, ad instar [qui ad capiendos pisces, et hamulis et escis utitur] suavitatem cum fortitudine adeo Pastor coniungat adhibeatque, ut quae prima capit, altera teneat, vel, si perplacet, vicissim.

b) *Explorandum accurate genus subditorum eique accomodanda, quantum licet, rectio*², quod sane perarduum, et de quo peculiaribus in rerum adiunctis sententiam ferre Pastoris tantum est. Attamen hac tantum servata norma, eius regimen [pluviae Israelitico repromissae populo ad instar] *in tempore opportuno*³ erit.

c) Paroeciae regimen cum familiari, cum religioso ac illo vitae communis haud confundendum, cum ad nimis peculiaris devenire iustitiam fidelibus debitam ac eorum libertatem laedat, ac regimen ipsum pessumdet.

116. — Hisce, generali ratione, praehabitis, ad peculiares ad rem indigitandas industrias accedimus quae [brevitatis perspicuitatisque causa] hisce complectimur, nimirum:

a) Ingenii corporisque a natura sortito habitu in

¹ S. Gregor. Magn. *Regul. Pastoral.* Par. II, Cap. 6.

² S. Bonaventura, *De Sex Alis*, Cap. III.

³ *Levitic.* XXVI, 3.

oppositam semper partem Pastor inclinet, quo auream mediocritatem facilius assequetur. Ita, ex. gr., si quis suavem a natura sortitus sit indolem, ad rigidam aliquantulum ipse inclinet, et vicissim. Nec secus de diversis corporis commixtionibus seu temperamentis [alibi indigitatis] dicendum, ex quibus adiumenta carpere, at detrimenta arcere nostrum est; quo pacto passionum intemperantiae, rationis argumentis refelluntur.

b) Aut suavem nimis, aut nimis rigidam peculiarem regendi rationem a priori haud sibi praefiniat Pastor, quum utraque ab adiunctis dependeat, quae a priori praevideri nequeunt. — Quando, igitur, ad apostolicum regimen Pastores assumuntur, quaedam, generalem sui regiminis praestituere normam non tantum possunt, sed immo et debent. At nimis strictam ac coarctatam sibi ne praefiniant, quae etsi omnibus numeris per se absoluta, attamen ad praxim quod attinet adeo imprudens semper erit, ut si quis [spretis omnibus] per eam adamussim incedere contendat, et quam maxime noxia sibi coeterisque comparabit. De coetero et in hac generali sibi praestituenda norma, potiusquam propria commoda, christifidelium illa spectare prudentius erit, rivuli imitando aquam quae, silenter decurrendo, alveo ripisque se aptat. Christi, fideliumque caritas urgeat nos semper!

c) In dubiis, potiusquam severitate, suavitate peccetur, monente Scriptura: *Facere misericordiam, ... magis placet Domino quam victimae*¹; *melius est, enim, de nimia pietate, quam de nimia severitate damnari*². Coeterum, incommoda quae ex nimia oriuntur severitate, iis quae ex nimia habentur suavitate praecellere apertum est. Enimvero:

1) Ex severitate nimia boni scandalum patiuntur, mali superbiunt, et, peccatores [animi demissione fracti] ad bonam haud se recipiunt frugem: *Remissius, enim, imperanti, melius paretur*³. — Neque haec agendi ratio Pastori adiumentum affert, quum et hi omnes qui severiores sunt, a Praeposito suaviter se habere praeoptent.

2) Suavitate nimia facilius reguntur subditi, eorum devinciuntur corda suavius, imperium odium non parit, nil immature, sed omnia prudenter aguntur, iniuriam indociles melius experiuntur suam, humilitate et patientia victoriae paratur iter. Pastor, igitur, sicut *pater in nomine, ita affectus probetur in opere*⁴, ac adeo pastoralis in regimine se gerat ut *miseriordia semper emineat, et superexaltet iudicium, prae-*

¹ Prov. XXI, 3.

² De Vita Spirit. Cap. 7.

³ Seneca, De Clementia, I.

⁴ S. Gregor. Magn. Epistol. Lib. II, Indict. III, Epist. 24 ad Ioann.

*sertim propter id quod scriptum est: Iudicium sine misericordia est illi qui non facit misericordiam*¹. Vino, igitur, timoris parce utatur Pastor, quum rationem obnubilare, phantasiam conturbare ac ignem in sinu mittere meri sit. E contrario, lacte amoris fideles suos abundanter ipse potet, cuius corpus enutrire, sanguinem dulcificare ac mentem refrigerare est. D. Bonaventurae ad rem verba recoluisse iuvabit: *Quum non possit semper teneri quod de omnibus placeat, minus tamen deviat si ad benignitatis partem plus declinatur, per quam redditur subditis magis amabilis, ob quam ei liberalius obtemperantur et audacius ad eum recurrunt in quibus indigent, et alacrius imitantur. Ipsa, enim, potestatis auctoritas facit eum satis timendum subditis, et si huic iungitur austeritatis severitas, perditis fit mentibus onerosa*². Vos autem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, et dispersae sunt oves meae³, et in Ecclesiastico: *Noli esse quasi leo in domo tua subvertens domesticos tuos et opprimens subiectos tibi*⁴, Sacrae testantur Litterae.

117. — Suavitas cum gravitate temperetur, quae firmitas et constantia animi in moribus, vultu, verbis, rebus agendis ac quaedam severitas est⁵. Enimvero, si quorum ipsi decet oblitus Pastor fuerit, quomodo fieri potest ut reverentiam illi debitam fideles ei praestent? Auctoritatis, enim, praestigium non ab aetate, a magna corporis statura, vel a vocis dependet sonitu, sed potius ab imperio mysterio ac gravitate referto dimanat, quod dum reverentiam suadet, et obedientiam iubet. Quo fit ut si una ex parte in Pastoris bono exemplo gravitas contineatur, ex altera tamen ad pastoralis sui regiminis finem assequendum necessarium prorsus medium ipsa sit, qua deficiente, nomine Pastor, at re uti crepundium a fidelibus habebitur. — At externa gravitas, ab interna [uti effectus a causa] dimanare debet. Ad rem:

a) Interna gravitas in passionum dominatione et, pressius, in irascibilium et concupiscibilium motus coercitione continetur, quorum primis animi constantia, alteris vero mortificatio opponitur.

1) Animi constantia uti gravitatis mater habenda est, nam *nulla erit maturitatis ostensio si contra adversa omnia non adfuerit operis fortitudo*⁶. Idcirco, sapienter Pius P. P. X nuperrime admonebat: *Vestrum est, Venerabiles fratres, quos christianae plebis pastores ac duces divina Providentia constituit, curare pro viribus ut in pravum hunc morem*

¹ S. Laurent. Iustin. De Instit. et Regim. Praelat. Cap. 9.

² Cfr. S. Bonav., De Sex Alis Seraph. Cap. 7.

³ Ezech. XXXIV.

⁴ Ib. IV, 35.

⁵ Collect.

⁶ S. Gregor. Magn. Epist. Lib. III, Indict. II, epist. 2. Ad Paulin. Episcop., Hom. 4.

*prona aetas omittat, flagrante tam saevo in Religione bello, turpi socordia torpescere, neutris in partibus esse, per ambages et compromissa, divina atque humana iura pervertere, insculptamque in animo retineat certam illam ac definitam Christi sententiam: Qui non est mecum, contra me est*¹.

II) Mortificatio ad gravitatem servandam medium necessarium censi debet, quo deficiente, dum passionum desideriis subiicimus, et gravitatem amittimus, quod sane, uti per se perspicuum, haud demonstratione eget. *Non placet Deo quem suorum gravitas morum probat*².

b) Gravitatem vero externa ea est quam [communi usu] gravitatem simpliciter nuncupamus, qua [circumstantiarum habita ratione] ita quis in corporis motibus se gerit, ut dum in proximo aedificationem praestat, haud taedio tamen ipsum afficiat. Enimvero quae senes decent, iuvenes, e contrario, dedecent et vicissim, et *nil odiosus est affectatione*³, qua ipsa virtus in vitium commutatur. — Gravitatem igitur servetur:

I) In vultu, monente Scriptura: *ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus*⁴; quod et Apostolo dilecto recolat Tito: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*⁵. Attamen ne ex eorum Pastor sit numero qui sublati in altum humeris et intra se nescio quid cernicantes, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinantur ut, si praecone addideris, putes incedere praefecturam. Fugienda, igitur, est nimia frontis oculorumque deiectio, humerorumque contractio, cervicisque in alteram partem inclinatio, quibus verendum est ne, dum fastus caveri videatur, in maiorem fastum mente, proculcati tanti morbi gloriabunda, dilabatur. Praeterea cavendum erit ne hilarescens nimium sit vultus, profusiorque frons in laetitiam: ne gestiens, aut exultans ita modum transeat, ut resolvi paene videatur⁶. Iure, enim, meritoque animae speculum vultus a Veteribus appellatur, et quum Pastoris anima virtutis tabernaculum ac sanctuarium esse debeat, et quae virtutum sunt species eius ostendere vultum oportet.

II) In incessu, corporis motu ac habitu tenenda quoque verecundia est: *habitus, enim, mentis in corporibus statu cognoscitur*⁷. Idcirco ita gestus et motus suos componere Pastor studeat, ut nihil in iis quod merito reprehendi possit appareat⁸.

¹ Encycl. *Communium*, die XXI april. 1909.

² S. Ambros. *Epist.* 64.

³ Quintil. *Institut.* Lib. II, Cap. II.

⁴ *Ecclesi.*

⁵ II, 7.

⁶ Maph. Vegius, *De Educat.* Lib. IV, Cap. 3.

⁷ S. Clemens Alexandr. *Paedag.* Lib. II, Cap. I.

⁸ S. Greg. Magn. *Epistolar.* Lib. II, Indict. III, epist. 25 ad Ioan.

III) In sermone quoque adeo utendum, ut *sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus*¹. *Disciplina, enim, iubet ut loquentis sit modestus gestus et humilis: sonus demissus et suavis, significatio vera et dulcis*². Praesertim vero sermones utiles magis quam facetos, affabiles ama: *rectos potius quam obsecundantes: non erit tibi scurrilitas, sed grata urbanitas. Sales tui sine dente sint, ioci tui sine vilitate: requirenti facile responde, contententi facile cede, nec in iurgia detractionesque descendas*³... *Consecrasti os tuum evangelio: talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegum. Labia sacerdotis, ait, custodient scientiam et legem requirent de ore eius; non nugas, profecto, vel fabulas*⁴.

IV) Et in rebus agendis gravitas servetur, quae tum quae aggredimur negocia, tum personas cum quibus consuetudinem habemus, spectare potest, et de quibus alibi iam diximus⁵.

II8. — Ad hanc gravitatem servandam media perstringimus paucis:

a) Dei se gerere personam Pastor semper meminerit, quo fiet ut ea quae ipsum dedecent, haud agat.

b) Quam a natura sortitus est auctoritate [ascendant] Pastor utatur. *Quibusdam, enim, ad amplitudinem et gloriam ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna videtur*⁶, et aliquibus quandoque contigit ut nihil agentibus, de coelo victoria ac fortuna de-volet⁷. Quibus hac naturali pollent auctoritate, quisque [quodam instinctu] facile se subiicit: aliorum, enim, corda ipsi vel inscii dominantur, ac quae coeteri multo verborum operarumque conatu vix obtinent, fere tantum nutu hi assequuntur. — Attamen si quis quod a natura sponte haud sortitus sit ingenium artificiose imitari contenderit, perridiculus efficeretur: *temporaria, enim, gravitas, vel potius gravitatis imitatio ridetur*⁸.

c) Nimiam inter familiaritatem nimiumque rigorem, medium tenendum est iter. Idcirco *non austeritatem suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, haec reprimit leviores. Illa, si adsit, odibilem; haec, si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius ut nec de levitate sit oneri, nec de familiaritate contemptui?*⁹

¹ Hugo a S. Victore, *De Institut. Novit.* Cap. 17.

² Id. *Ibid.*

³ Id. *Ibid.*

⁴ S. Bernardus, *De Consideratione,*

Lib. II, Cap. 13.

⁵ Cfr. in indic. alphabetic., *Negotia.*

⁶ Cicero, *Orat. pro lege Manil.*

⁷ Plinius, *Epist.* Lib. VI, Epist. 13.

⁸ Tit. Liv. *Histor.* Lib. II.

⁹ S. Bernardus, *Op. cit.* Lib. IV, Cap. 6.